

COMPOTUS ECCLESIASTICUS

CONSPECTUS SIGLORUM

- Ba London, British Library MS Add. 27589 (s. xiii).
- cc Oxford MS Corpus Christi College 293B (s. xiii).
- A Oxford MS Bodleian Library Ashmole 1285 (s. xiii).
- U Oxford MS University College 26 (s. xv).
- C Oxford MS Bodleian Library Can. Misc. 71 (s. xiii-xiv).
- B Oxford MS Bodleian Library 679 (s. xiv)

INDEX CAPITULORUM

		<i>page</i>
1. [Quid compotus]	The nature of <i>compotus</i>	5
2. [De partibus temporis]	The parts of time	5
3. [De die]	The day	5
4. De septimana	The week	8
5. De mense	The month	8
6. [De kalendis nonis et idibus]	Calends, nones and ides	12
7. [De diebus Egiptiacis]	Egyptian days	13
8. De anno	The year	14
9. [De concurrente]	The concurrent	16
10. De bisexto	The bissextile	19
11. [De ciclo solari]	The solar cycle	21
12. De anni divisione	The division of the year	24
13. [De solstitiis et equinoctiis]	Solstices and equinoxes	24
14. [De ieiuniis]	Fast days	26
15. [De adventu Domini]	Advent	27
16. De anno lunari.	The lunar year	28
17. [De aureo numero]	The golden number	30
18. De anno communi	The common year	32
19. De anno embolismali	The embolismic year	33
20. De epactis et regularibus lunaribus	Epacts and lunar regulars	38
21. De saltu lune	The <i>saltus lune</i>	42

22. De festis mobilibus	Moveable Feasts	43
23. De clavibus	The keys	46
24. De lustris, indictione, seculo et evo	The lustre, indiction, century and age	49

[Ba13r;cc326r;A107ra;U26r;C31v;B5r]

[1. Quid compotus]

Compotus est scientia considerans tempora distincta secundum motum solis et lune. Scientia' ponitur ut genus; per hoc quod additur 'considerans tempora' denotatur compoti materia. Tempus enim est materia circa quam agit compotista, non tamen quolibet modo consideratum; et ideo subiungitur 'distincta secundum motum solis et lune'. Compotus enim considerat tempora mensurata secundum motum istorum duorum planetarum. *Fecit enim Deus duo luminaria magna, luminare maius ut preesset diei, luminare minus ut preesset nocti*; non curat motus aliorum planetarum, unde patet quod compotus differt ab astronomia et astrologia, que considerant motus omnium planetarum. Tempus quod est materia compoti sic describitur a Tullio: Tempus est pars eternitatis annui, mensurni, [U26r] ebdomatici, diurni, nocturnive spatii certa dimensione.

[2. De partibus temporis]

Compotista autem quandoque assumit partes temporis maiores diei, quandoque minores. Partes temporis maiores diei sunt septimana, mensis, annus, lustrum, indictio, seculum et evum. Quid sit unumquodque istorum satis patebit in consequenti. Partes minores diei sunt quadrans, hora, momentum, uncia, athomus. Quadrans est quarta pars diei naturalis, id est sex hore. Hora vero est vigesima [Ba13rb] quarta pars diei naturalis; momentum est quadragesima pars hore; uncia est duodecima pars momenti; athomus est quadragesima septima pars uncie.

[3. De die]

Dierum vero alius naturalis, alius artificialis. Dies naturalis est spatium ab ortu solis ad ortum: 24 horarum. Dies artificialis est quam diu [U27r] sol est in nostro

emisperio.

Notandum quod dies naturalis secundum diversos diversa habet principia. Christiani enim incipiunt diem naturalem a media nocte et ibidem terminant, hac ratione, quia legitur quod Dominus natus erat in medio noctis dominice; Arabes vero a meridie [cc326rb], quia dicitur quod sol factus est in meridie [A107b] secundum motum cuius considerant diem naturalem; Iudei a tempore vespertino [C31vb], innitentes illi auctoritati Genesis: *factum est vespere et mane dies unus*. Quidam autem secundum sensum agentes, ut vulgus, incipiunt diem naturalem ab ortu solis, quia cum sol efferatur supra nostrum horizonta et sit causa diei, tunc merito debet incipere dies [U27v] cum ascendat sol.

Notandum etiam quod dies septimane secundum diversos diversas habent appellationes. Philosophi enim denominant quamlibet diem septimane ab illo planeta qui dominatur in prima hora illius diei. Dicunt autem quod successive dominantur planete per horas.[B65b] Sunt autem .vii. pla[Ba13va]nete quorum nomina et ordo circulorum ipsorum planetarum possunt retineri per hunc versum:

Cinthia, Mercurius, Venus et Sol, Mars, Iove, Satur.

Supponitur igitur quod Saturnus dominatur in prima hora diei sabbati, Iupiter in secunda, Mars in tertia, Sol in quarta, Venus in quinta, Mercurius in sexta, Luna in septima, iterum in quartadecima, similiter in vicesima prima, Saturnus [U28r] vicesima secunda, Iupiter vicesima tertia, Mars .24a. Et cum non sint plures hore in illa die naturali relinquatur quod Sol dominatur in prima hora diei subsequenter. Unde ille dies dicitur dies solis; et consimili computatione habetis quod Luna dominatur in prima hora diei subsequenter diem solis, et inde suscipit appellationem, et ita de aliis. Secundum hoc quidam medici, cum dant potiones vel faciunt minutiones, considerant

utrum planeta sit benivolus vel malivolus qui dominatur in illa hora.

Ex hiis autem solvitur hec questio. A nominibus planetarum denominantur dies septimane, set quidam est ordo in planetis quoad circulos suos? Quare igitur dies septimane non denominantur secundum istum ordinem planetarum ut statim diem Saturni sequeretur dies Iovis, et hunc dies Martis, et ita de [Ba13vb] aliis? Ratio huius est: quod .24. hore distribute sunt planetis. Septem[cc326va] autem sunt planete. Unde si quilibet illorum assumat sibi tres horas, supererunt de 24 horis [A107va] tres hore attribuende tribus planetis. Unde patet quod si aliquis dies denominatur ab uno planeta, dies sequens denominabitur a planeta tertio post. [C32ra]

Christiani autem, sicut Beda, Ieronimus, et alii viri religiosi, primam diem septimane appellaverunt [U29r] diem dominicum sive primam feriam: dominicum, quia tali die natus est Dominus, tali die resurrexit, tali die mundum fecit; feriam, quia feriare idem est quod celebrare, et die illa quam dicimus diem dominicum debemus cessare ab omni opere peccati, et etiam manuali. Vel dicitur feria a ferendis victimis, quia olim festivis diebus ad templa ferebantur victime et holocausta. Secundum diem septimane appellaverunt secundam feriam, et sic de aliis. Nomen vero sabati non mutaverunt, ut appellarent eum feriam septimam, quia tali die requievit Dominus ab omni opere quod patrarat, et iterum requievit in sepulcro. Sabbatum enim idem sonat quod requies, et ideo retinuit nomen tale. [U29v] Iudei autem alias habent septimane appellationes. Primum enim diem septimane sabbatum [Ba14ra] appellant sicut et nos, quod Dominus tali die requievit. Et secundum diem illum quem nos dicimus diem dominicum appellant primam sabati. Unde illud: mane prima sabati, id est prima die post sabbatum. Diem vero quem nos dicimus diem lune appellant secundam sabati, et ita deinceps secundum ordinem. Dicitur autem dies a diis: quidam enim dicunt

planetas esse deos a quibus denominantur dies. Vel dicitur a dyan, quod est clarum; vel dicitur a dya, quod est duo, quia dies naturalis dividitur in diem artificialem et noctem.

[4.] Sequitur de septimana.

Notandum quod septimane non habent proprias appellationes sicut dies, cum propter earum multitudinem - sunt enim 52 septimane et unus dies in anno - tum propter hoc, quod in uno anno est aliquod spatium septimane quod in alio est partes duarum septimanarum[A107vb]. Quod sic patet: si in hoc [cc326v] anno aliquod festum sit in die sabbati, idem festum in anno sequenti erit in die dominica. Unde illud festum quod terminat septimanam in hoc anno erit initium alterius septimane in anno sequenti. Habent tamen septimane communes appellationes has, scilicet ebdomada, septimana et sabbatum. Ebdomada dicitur ab *ebda* quod est septem, et *deas* quod est dies, quasi septem [Ba14rb] ha[C32rb]bens dies. Septimana dicitur a septem et [U30v]mane, quasi habens septem mane, id est tempora matutina; et ibi sumitur pars pro toto. Sab[B66r]batum appellant septimanam, quia per totam septimanam debemus quiescere a peccato. Unde illud: *Ieiunio bis in sabbato.* etc. Ex hiis patet quod sabbatum est equivocum ad unam diem septimane et ad totam septimanam.

[5.] Sequitur de mense.

Unde notandum quod triplex est mensis, scilicet solaris, lunaris et usualis. Solaris est quam diu sol moratur in signo peragrando. Lunaris idem est quod lunatio, de qua dicitur postea. Usualis est illud spa[U31r]tium dierum, scilicet, kalendariis inscriptum, et ab antiquis celebratum.

Notandum itaque quod Romulus primus menses distinxit et annos, in anno suo .x. menses constituens, hac ratione, quia ut dicitur tantum tempus suffecit mulieri

pregnanti ut pareret; vel quia per tantum tempus debuit mulier abstinere a nuptiis post mortem mariti sui. Primum mensem suum denominavit a Marte patre suo; vel a marte, id est a bello, quia tunc reges Romani solebant procedere in expeditiones. Secundum mensem appellavit Aprilem, ab aperiendo, quia tunc pori terre aperiuntur, et procedunt herbe et folia in [U31v] arboribus; vel Aprilis quasi [Ba14va] Afrilis. Venus enim Frodisa dicitur a *frodos*, quod est spuma maris de qua nasci fingitur. Et ipsa fuit generationis [A108ra] Romulee principium ex parte matris sue. Tertium appellavit Mayum a maioribus. Quartum Iunium a iunioribus. Menses sequentes appositis dictionibus numeralibus appellavit, ut Quintilem, Sextilem, Septembrem, Octobrem, Novembrem, Decembrem. Unde Ovidius:

Tertius a senibus, iuvenum de nomine quartus.

Que sequitur numero turba notata suo est.

September dicitur quasi septimus ymber, [U32r;cc327ra] ab ymbre, id est a tempore pluvioso, sicut a tempore Februarii, et ita de aliis. Set postea sequens Numa Pompeius adiecit duos menses, scilicet Ianuarium et Februarium. Unde Ovidius:

At Numa nec Ianum, nec avitas preterit umbras.

Mensibus antiquis preposuitque duos.

Dicitur autem Ianuarius a ianua, quia sicut per ianuam est introitus in atrium, ita per Ianuarium in annum; [C32va] vel dicitur a Iano qui fuit biceps, ita quod Ianuarius duplicem habet faciem, quia videt finem anni terminantis ad ipsum, et principium incipientis ab ipso. Februarius dicitur a Februo, id est a Plutone, quia tunc solebant sa[U32v]crificia facere pro animabus [Ba14vb] antecessorum; vel dicitur a febre, quia tunc febricitare solebant homines. Licet igitur Numa annum suum ex .xii. mensibus fecerit, tamen diminute egit, quia menses sumpsit lunares, unum scilicet .30. dierum

et reliquum .29., et ita annus suus constabat ex .354. diebus, qui numerus non sufficit cursui solis. Sequens igitur Iulius Cesar ultimam correctionem apponens undecim dies adiecit et quadrantem. Unde annus Iulii constabat ex .365. diebus et .vi. horis.

Superflue tamen assumpsit .viii. momenta, ut patebit inferius. Tempore autem Iulii Cesaris Romani adulantes Iulio mensem qui prius dicebatur [A108rb] Quintilis [U33r] Iulium appellaverunt, quia in tali tempore legitur Iulium esse natum. Postea similiter adulantes Augusto mensem prius dictum Sextilem Augustum appellaverunt.

Qui autem menses usuales plures habeant dies, qui pauciores, scitur hiis versibus:

Sep, No, Iun, Ap, triginta dato, reliquis magis uno.

Ni sit bisextus, Februus minor esto duobus.

In quolibet vero mense sol dicitur novum signum intrare; et est signum certum spatium zodiaci ab astronomis dictum. Habet etiam quodlibet signum specialem appellationem ut [B66v] patet per hos versus:

Est Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo. [Ba15ra]

Libraque Scorpius, Architenens, Caper, Amphora, Pisces. [U33v]

Primum signum est Aries, quia secundum quod credit Ecclesia in eo factus est sol, licet dicant Arabes quod sol factus sit in Leone. Et dicitur Aries quia sicut [c327rb] Aries est animal quod in parte anteriori viget, in parte autem posteriori debile est, ita sol existens in illa parte zodiaci que dicitur Aries in tempore hiemali parum habet virtutis, scilicet caloris et siccitatis, in parte anteriori magis habet virtutis, scilicet versus estatem; vel, ut dicunt quidam, Aries tota hieme sinistro accumbit lateri, estate [C32vb] vero dextro: sic sol tota hieme magis accedit ad emisperium inferius, estate vero ad superius, quod est quasi dextrum latus.

Secundum signum dicitur Taurus, quia tunc labores taurorum sive bovim apparent; vel quia sicut taurus est animal fortius ariete, ita sol existens in eo fortior est in virtutibus quam fuit [U34r].

Tertium signum est Gemini, quia tunc geminatur virtus solis in caliditate et siccitate; vel quia sicut Gemini depinguntur iuvenes amplectentes se, ita quando sol est in illa parte celi quedam terre nascentia amplectuntur se per radices et pubescunt superius in herba.

Quartum signum est Cancer, quia sicut cancer est animal retrogradum, ita sol in illo tempore recedit [A108va] a nostro emisperio. Unde illud signum dicitur tropicum quasi conversivum; [Ba15rb] et in eo est solstitium estivale.

Quintum est Leo, quia sicut leo est animal ardentissime nature et implacabilis ire, ita sol existens in illa parte celi ardentissimus est et siccissimus. Unde tunc non est bonum minui nec purgationibus uti propter defectum humoris [U34v] in tempore caloris et siccitatis.

Sextum est Virgo, quia sicut virgo sterilis est, ita tempus illud sterile est et nichil producit, set producta maturat.

Septimum est Libra, quia tunc libratur dies artificialis nocti; et est equinoctium autumpnale.

Octavum est Scorpius, quia sicut scorpius pungit cum cauda, ita matutina parum cautos tunc frigora mordent.

Nonum est Sagittarius, quia tunc in nos mittuntur sagitte temporis, tempestates scilicet, ymbres, grandines et huiusmodi.

Decimum est Capricornus, quia sicut in pascendo erigit se caper, ita tunc sol ab inferiori emisperio versus nostrum accedit emisperium; et dicitur hoc signum

tropicum, quia sol tunc convertitur ad nos; et est tunc solstitium hiemale.

Residua vero duo signa, Aquarius et Pisces, notant habundantiam aquarum, [cc327va] quia quando sol est in illis tunc habundant [U35r] pluvie; et dicitur Aquarius ab *aqua et qualitate et aere*.

Quidam tamen dicunt quod hec signa denominantur a situ stellarum fixarum que sunt in illis partibus ad modum anima[Ba15va]lium.

[6. De kalendis nonis et idibus]

Notandum etiam quod in quolibet mense sunt .3. dies principalia nomina habentes, a quibus denominantur alii dies mensis coassumptis dictionibus numeralibus, scilicet kalende, none et idus.

Dicuntur autem kalende quasi *colende*, [C33ra] quia primus dies cuiuslibet mensis colebatur ab antiquis in honore Iunonis. Unde Ovidius:

Vendicat ausonias Iunonis cura kalendas.

Vel dicuntur kalende a *calo*, quod est voco, quia prece prima die cuiuslibet mensis ascendebat locum eminentem in civitate et clamabat quater ‘calo’ si nun[A108vb]dine debent du[U35v]rare per quatuor dies, sexies si per sex; et ideo dicuntur kalende in plurali numero, quia pluries clamabat ‘calo’; vel dicuntur kalende a *calon*, quod est bonum, quia in prima die mensis mutuo solebant dari quedam dona ab amicis, ut per totum mensem omen bonum eis eveniret.

None autem dicuntur a *non*, quia nullus deus habuit festum in nonis. Unde Ovidius:

Nonarum tutela deo caret.

Vel dicuntur none quasi *nove*, propter statuta innovata et renovata in singulis mensibus quondam apud Romanos; vel dicuntur none a *nundinis*, quia per tot dies

durabant quot sunt none [B37r].

Idus vero dicuntur quasi *divisiones*, quia dividunt menses fere in duas partes [U36r] equales; vel quia dividuntur tunc nundine.[Ba15vb]

Ab istis diebus appositis dictionibus numeralibus nominantur alii dies mensis, ita quod maiori numero secundum quod magis antecedunt et minori secundum quod minus. Si autem queratur quare non dicatur secundos kalendas, dicendum quod hec dictio secundus provenit ab hoc verbo *sequor, sequeris*, unde illa dies deberet sequi si recte diceretur secunda; set ibi bene dicitur pridie kalendas, id est priori die ante kalendas. Quilibet vero mensis habet viii idus. Unde versus:

Octo tenent idus menses generaliter omnes [cc327vb].

Set quidam menses plures habent nonas, quidam pauciores. Unde versus:

Mar, Ma, Iul, Oc, senas, reliquis dato bis duo nonas.

Habito igitur quot dies habeat quilibet mensis sicut patet ex predictis, et quot nonas [U36v] et quot idus, subtractis nonis et idibus residui dies erunt kalende.

[7. De diebus Egiptiacis]

Notandum etiam quod in quolibet mense sunt duo dies qui dicuntur egri, mali, Egiptiaci. Egri, quia secundum opinionem quorundam, si quis egrotaret in hiis diebus vix vel nunquam evaderet. Mali, quia malum fuit incipere aliquod opus propter malas constellationes. Egiptiaci, quia ab hiis erant inventi. Preter enim decem plagas notas [A109ra] contingebant eis plura mala, que notabantur in [U37r] kalendariis suis bis in quolibet mense.[C33rb] Quidam etiam in hiis diebus sacrificabant humanum sanguinem; unde [Ba16ra] prohibitum est ne quis sibi minueret ne videretur sacrificare se demoni. Observationes istorum dierum inhibet Augustinus dicens

Kalendas mensium et dies Egiptiacos non observetis.

Quia tamen illi dies sunt suspecti, ad illos habendos sciantur hii versus:

Augurio decies audito limite clangor,

Linqvit olent abies coluit colus excute gallum.

In hiis versibus sunt .xii. dictiones servientes .xii. mensibus, prima Ianuario et sic deinceps. Ad habendum igitur priorem diem Egiptiacum alicuius mensis [U37v] sumatur prima littera prime sillabe dictionis deservientis illi mensi, et quota fuerit in alphabeto, tot dies computa a principio mensis descendendo, et ubi terminatur computatio talis, ibi est dies Egiptiacus. Ad habendum secundum diem sumatur prima littera secunde sillabe eiusdem dictionis et quota fuerit in alphabeto tot dies computa a fine eiusdem mensis ascendendo, et habebis quod queris, hoc etiam prenotato, quod .h. non computatur pro littera.

[8.] Sequitur de anno.

Unde videndum est quid sit annus, et quare sic dicatur, et ubi habeat principium.

Notandum igitur quod multiplex est annus. Est enim solaris et lunaris. [U38r] Annus solaris est illud spatium in quo sol moratur ab uno puncto zodiaci circuens totum zodiacum proprio [Ba16rb] motu et rediens ad idem punctum. [cc328ra] Unde apud antiquos solebat depingi serpens devorans propriam caudam, propter temporis revolutionem. Et dicitur annus ab *an*, quod est circum, et *eo, is*, propter predictam revolutionem.

Secundum autem diversos [A109rb] diversa sunt anni principia. Numa enim Pompeius annum suum incepit a solstitio hiemali, quia tunc incipit sol ascendere ad nos. Unde Ovidius:

Bruma novi prima veterisque novissima solis

Principium capiunt Phebus et annus idem

(non tamen in eodem die licet in eodem tempore).

Romulus vero annum [U38v] suum incepit a Martio iuxta equinoctium vernale, quia tunc omnia virent et florent. Secundum theologos etiam factus est mundus .xv. kalendas Aprilis; Arabes [C33va] a solstitio estivali, quorum opinio fuit quod sol factus erat in Leone. Quidam incipiunt a Septembri, sive ab equinoctio autumpnali, propter illud Genesis:[B67v]

Protulit terra herbam virentem facientem fructum iuxta genus suum et autumpnus est tempus fructuosum. Unde dicebant mundum factum esse in autumpno. Ista principia imitamur in aliquo: nam claves terminorum et aureum numerum incipimus a Ianuario, a Martio [U39r] concurrentes et regulares [Ba16va] solares, a Septembri vero epactas et regulares lunares et embolismos.

Notandum quod in anno sunt quinquaginta due septimane et unus dies. Iste dies residuus variat septimanas, et est causa quare festa sanctorum singulis annis variantur et diversis feriis celebrantur; et etiam quare litere dominicales variantur; et quod kalendarium incipit ab .a. et terminatur in .a.; et est origo concurrentis. Quod festa sanctorum variantur propter istum diem sic patet: ponatur quod aliquod festum sit in hoc anno in die Dominica, in anno sequenti idem erit in die Lune, et si bisextus fuerit, in die Martis erit. Hec eadem variatio est per singulas kalendas mensium.[U39v]

9. [De concurrente]

Ad habendum igitur generaliter et artificiose qua feria quilibet mensis incipiat, inventi sunt duo numeri, unus variabilis, scilicet concurrentis, et alius invariabilis, qui dicitur regularis solaris.

Con[A109va]currrens est numerus septenarium non excedens, proveniens ex superhabundantia [cc328rb] anni divisi per septimanas. ‘Numerus’ dico large, ut unitas numerus appelletur, quia quandoque unitas est concurrrens. ‘Non excedens septenarium’ dico, quia concurrrens septem non transit, set petit assem; quia cum tantum sint .vii. ferie in septimana, et concurrrens et regularis habeant [Ba16vb] ostendere pri[U40r]mam feriam mensis, neuter illorum excedet septenarium. ‘Proveniens etc.’ dico, quia ille dies qui relinquitur ultra septenarias est causa concurrentis.

Dico igitur quod primus annus cicli concurrentium unitatem habuit pro concurrente, propter illum diem, secundus binarium, tertius ternarium, quartus quinarium, uno die superaddito propter bisextum, quintus .6., sextus .7., septimus [C33vb] unitatem, octavus .3. propter bisextum. Et eodem modo computandum est donec perveniatur ad .xxviii. annum, ubi septenarius est concurrrens, et annus bisextilis; et [U40v] postea penitus redibit idem status in formatione concurrentium. Unde spatium .xxviii. annorum dicitur ciclus concurrentium. Per hos autem versus scitur quid sit concurrrens in quolibet anno:

Quam feriam Martis .f. littera significabit

Illius in numero concurrrens serviet anno.

Vide quota feria significatur per primum .f. in Martio et tantus numerus est concurrrens illius anni. Vel potest sic haberi concurrrens:

Sex habet .a., .b. .5. tenet, .c. .4., et .d.

Tres habet, .e. que duos, .f. unum, .g. quoque septem.

Quotiens .a. est littera dominicalis, senarius est concurrrens; quotiens .b., quinarium et ita de aliis. Mutatur autem concurrrens in Martio, quia incipit a Martio, et in ipso

terminatur, [Ba17ra;U41r] et variatur singulis annis; set tamen unus servit uni anno toti. Et dicitur concurrere a *con* quod est simul, quia simul concurrit cum regulari ad ostendendum qua feria quilibet mensis incipiat.

Regularis [A109vb] solaris est numerus septenarium non excedens qui adiunctus concurrenti ferias mensium indicat. ‘Numerus’ dico large ut prius; ‘non excedens septenarium’ ut prius. Illud membrum *qui adiunctus* etc., ostendit tam officium concurrentis quam regularis. [cc328va] Habet autem nunc et semper habebit quilibet mensis tot pro regulari a quota feria incepit in principio mundi. Mundus autem factus est .xv. kalendas Aprilis sicut [U41v] credit Ecclesia. Unde ibi solet notari primus dies seculi, et sol in Ariete. Unde versus:

Principium mundi renovat G tertia Martis.

Constat autem quod primus dies seculi fuit die dominica: illa .g. igitur fuit littera dominicalis. Supposito igitur quod per totum annum sequentem sit littera dominicalis, patet qua feria menses incipiunt et ita patent regulares. Habet Martius .5. pro regulari, ac sic haberet omnes dies suos integros. Habito igitur uno regulari sicut regulari Martis, sic formentur alii: sume omnes dies Martis et regularem suum [B68r], et iunge simul, et ab illis coniunctis subtrahe septenarium quoti[U42r]ens poteris; et relinquitur unitas que est regularis Aprilis. Et sic agendum est de omnibus mensibus [Ba17rb] sequentibus, hoc prenotato quod si nichil est residuum, septenarius est regularis mensis sequentis. Per hos versus possunt sciri regulares omnium mensium:

Quinque No Mar; Iu Fe sex; A Iul assem; Sep Deque septem;

Oct duo; Ma Iaque tres habet; Au duo bis regulares.

vel sic:

Expugnans alios casus facit aspera dives.

Gaudet blandus egens, gaudia cessa ferens.

Hic sunt .xii. dictiones .xii. mensibus servientes, prima Martio [U42v] et ita deinceps. Quota igitur fuerit prima littera alicuius dictionis in alphabeto, tot habet ille mensis pro regulari cui servit illa dictio.

Habitis igitur concurrenti et regulari, insimul iungantur, [A110ra] et si ex illorum coniunctione excrescat septenarius vel minor numerus, a tali feria incipit mensis cuius regularem sumpsisti. Si maior quam septenarius, reice septenarium, et quotus est numerus residuus, a tanta feria mensis incepit cuius regularem sumpsisti. Dicitur autem regularis quia regulariter currit cum concurrente ad demonstrandum feriam mensis; et dicitur solaris ad differentiam regularis lunaris.

Notandum etiam quod habito per concurrentem et regularem qua feria [U43r] mensis incipiat, si nesciatur littera dominicalis, per hos versus invenitur [cc328vb]:

Altitonans dominus divina gerens bonus exstat.

Gratis celi fert aurea dona fide[Ba17va]li.

In hiis versibus prime litere .xii. dictionum ostendunt litteras inchoativas mensium. Habito de aliquo mense qua feria incipiat, et iterum habita prima littera mensis per dictiones versuum, illa littera servit illi ferie a qua mensis incepit; deinde facto decensu tam in litteris quam in feriis donec perveniatur ad primam feriam, statim patet littera dominicalis. Per predictos etiam versus scitur quot dies habet quilibet mensis, hoc supposito, [U43v] quod quilibet habeat .xx. et .viii. Deinde videatur distantia prime litere unius dictionis ad primam litteram sequentis dictionis ita tamen quod una includatur, reliqua excludatur computando, et quota fuerit illa distantia, tot unitates addantur .28., et tot dies habebit ille mensis cui servit dictio precedens; hoc notato quod si velis scire dies Decembris, oportet utramque litteram includere. Et hoc est

quod kalendarium incipit ab .a. et terminatur in .a. Habent autem versus initium a Ianuario.

[10.] Sequitur de bisexto.

Unde videndum est quid sit bisextus, et quare sic dicatur; et ubi inter[U44r]ponitur [A110rb]; et quomodo possit inveniri per annos domini; et quis error contingerit si bisextus non observaretur.

Notandum igitur quod Iulius Cesar et alii [Ba17vb;C34rb] sapientes perceperunt solem morari in quolibet signo per .xxx. gradus et .30. trientes hore et .30. bisse momenti. Gradum appellant tantum spatium quantum sol assumit in die naturali. Ex eo igitur quod sol moratur in quolibet signo per .30. gradus (et .xii. sunt signa) erunt .xii. .30. gradus, id est .360., et per consequens totidem dies. Triens autem est tertia pars alicuius integri. Triginta ergo trientes hore faciunt .x. [U44v] horas; et cum sint .xii. signa, erunt duodecies .x. hore, hoc est decies .xii., id est quinquies .24. hore, et ita quinque dies. Et sic habemus .365. dies ex gradibus et trientibus. Bisse vero est due tertie alicuius integri divisi in tres partes equales. Triginta igitur bisse momenti faciunt .xx. momenta, hoc est medietatem hore; et cum sint .xii. signa, erunt .xii. medietates hore, id est sex hore integre [cc329ra]. Unde in toto anno habemus 365 dies et .vi. horas. Set quia difficile esset cuilibet anno istas sex horas continuare, ita quod nunquam in diem redacte, alicubi ponerentur (quia secundum hoc si annus precedens incipiat a mane, se[U45r]cundus a meridie, tertius a [B68v] vespere, quartus a media nocte; similiter festa sanctorum varientur; et ita principium Ianuarii posset in tantum ascendere quod esset circa equinoc[Ba18ra]tium vernale; vel ulterius, ita quod principium anni esset in tam longis diebus sicut sunt dies solsticii estivalis) Ideo provisum est ut sex hore excrescentes in primo anno, et sex in secundo,

et sex in tertio transferantur ad sex horas quarti anni. Et erunt in quarto anno .24. hore, hoc est unus dies. Et sic particulariter collectus interponatur [A110va] in Februario, quia mensium brevissimus est. Et quia sex hore ex [U45v] quibus colligitur iste dies proveniunt ex bisse momenti, iste dies ex illis sex horis quater sumptis dicitur bisextus. Vel dicitur bisextus quia quando est annus bisextilis [C34v] in ecclesiis cathedralibus legentes in Martilogio bis pronuntiant sextas kalendas Martis, duos dies ponentes super eandem litteram. Et sciendum quod cum duo dies ibi computentur super eandem litteram, sequenti die debet celebrari festum Mathie. Unde versus:

Bisextum sexte Martis tenuere kalende

Posteriori die celebrantur festa Mathie.

[U46r] Ratio autem quare tali die bisextus interscaletur est hec: senarius est primus numerus perfectus. Quia igitur ille dies est quasi perfectio anni inponitur die denominato a numero perfecto. Perfectus autem numerus est cuius partes multiplicatae et simul aggregate ipsum numerum precise [Ba18rb] perficiunt. Et hac ratione potest dici quod interponitur in Februario, quia dies Februarii sistunt in secundo numero perfecto, id est in 28. Utrum autem sit annus bisextilis necne sic scitur: [U46v] sume annos Domini et divide in .4. et si aliquid sit residuum, non est annus bisextilis; set illud residuum, sive sit unitas, sive binarius, vel ternarius, manifestat annum post bisextum. Si nichil sit residuum, presens annus est bisextilis. Unde versus:

Tunc bisextus erit partes per .iiii.^{or} equas

Annos partiri cum poteris Domini.

Notandum etiam quod nisi observaretur bisextus, in .364. annis contingeret [cc329rb] diem natalis Domini celebrari in tam longis diebus sicut modo celebratur annuntiatio Domini. Quod sic patet: in tot enim annis, cum semper quartus sit

bisextilis, [U47r] contingunt .90. et unus dies, qui numerus est quarta pars .364. dierum. Ex .90. igitur et uno die possunt perfici .3. menses, duo .30. dierum et unus .31., et isti tres menses sunt quarta pars anni; que si esset ablata, contingeret predictum inconueniens, vel forte peius, scilicet quod natale Domini celebraretur in tam longis diebus sicut modo celebratur festum sancti Iohannis Baptiste; quod sic patet consideranti si duplentur .364. anni.

[11. De ciclo solari]

Viso quid sit concurrentes, quid bisextus, [A110vb] sequitur de ciclo solari, qui est quasi istorum [C34vb] effectus. [Ba18va]

Est igitur ciclus solaris revolutio temporis [U47v] in qua considerantur omnes variationes que fiunt in anno solari per concurrentem et bisextum; et repletur ille ciclus quando ultra septimanas integras nichil est residuum de diebus illis qui excrescunt ultra annum ebdomaticum, qui dies sunt causa concurrentium, nec de sex horis excrescentibus singulis annis ultra dies anni ex quibus horis proveniunt bisexti. Et illud spatium est 28 annorum, quia in tanto tempore complentur iste variationes, sicut patet depingenti tabulam concurrentium.

Cum autem sit ciclus quasi circulus, et in circulo contingit sumere principium ubicunque [U48r] volueris, non est mirum si ciclus solaris secundum diversos diversa habeat principia. Ciclus itaque noster solaris secundum Dionisium et usum Ecclesie sumptus non incipit ab eo anno quem nos et Gerlandus constituimus principium set a duodecimo illius, ubi unitas est concurrentes, sicut in primo anno, et .f. littera dominicalis, et est annus bisextilis. Unde patet quod primus annus cicli solaris secundum Gerlandum .xii.[B69r] annis ante initium cicli solaris secundum Dionisium

inceptit.

Discretio autem cicli solaris secundum usum Ecclesie et Dionisium habetur per hos versus: [U48v]

Fallitur Eva dolo, cibus [Ba18vb] Ade gaudia finit,

Et cum botrus adhuc germinet; Eva dolet.

Christus bella gerit, finitur eo duce bellum;

Ad gravidam fit dux, cuncta beavit ave.

In hiis versibus sunt .28. dictiones servientes .28. annis cicli solaris, prima primo, secunda secundo et ita deinceps.

Prima utilitas horum [cc329va] versuum est ut sciatur que sit littera dominicalis. [C35ra] Que enim littera est inchoativa alicuius dictionis, illa est dominicalis per totum annum cui deservit illa dictio, nisi sit bisextus. Si autem bisextus fuerit, tunc illa littera est domini[U49r]calis per .x. menses, initio sumpto a Martio, et littera que signatur extra fuit littera dominicalis fere per duos menses precedentes.

Secunda utilitas est quod, habita littera dominicali per versus, statim scitur concurrens per hunc versum:

f, e, d, c, b, a, g, concurrentes posuere.

Quotiens enim .f. est littera dominicalis, unitas est concurrens, quotiens .e. binarius, et ita de aliis, observato [A111ra] ordine litterarum positarum in versu. [U49r]

Tertia utilitas est ut sciatur utrum sit annus bisextilis. Sumantur igitur .28. anni computando in .7. digitis duarum manuum, ita ut primus annus cicli sit supra summitatem indicis unius manus, secundus in iunctura proxima, [Ba19ra] tertius in alia, quartus in radice indicis, quintus in summitate medii digiti eiusdem manus, et ita

descendendo donec ciclus compleatur. Dico igitur quod in .7. summitatibus sunt .7. anni bisextiles; qui sunt in iuncturis proximis ad summitates sunt anni primi post bisextum; et ita deinceps. [U50r] Hoc etiam scitur per tale abecedarium retrogradum .g.f.e.d.c.b.a. Quotiens enim in supradictis versibus transilitur ab aliqua littera illius abecedarii, tunc est annus bisextilis, et littera pertransita fuit litera dominicalis fere per duos menses, sicut dictum est. Littera consequens locum ubi factus est transitus fuit littera dominicalis per .x. menses.

Potest etiam sic sciri an sit annus bisextilis per hoc versum:

Fallit amor cautos extant grave basia dantes.

In hoc versu sunt .7. dictiones servientes .7. annis bisextilibus in toto ciclo. Cum igitur [U50v] primus annus cycli nostri sit bisextilis, prima dictio serviet primo anno, et *fallit fallitur* correspondet. Dictio vero sequens hanc dictionem *fallit* incipiens ab .a. serviet secundo bisexto et correspondet *amor ade*; et sic fiat per ordinem.

Hoc autem artificio possumus scire in quo anno [cc329vb] cycli sumus secundum Dionisium. Sume annos [Ba19rb] Domini et adde .9.:

Nam solis decimus Christo nato fuit annus.

Illam totam summam divide per .28. [U51r] Facta igitur divisione, si nichil [C35rb] est residuum tunc sumus in ultimo anno cycli; si aliquid, illud residuum ostendit in quoto anno cycli sumus.

[12.] Sequitur de anni divisione.

Dividitur autem [A111rb] annus in ^{quatuor} partes, ver, estatem, autumpnum et hiemem. Ver dicitur a *vireo*, *vires* quia tunc omnia virent; estas ab *estu*; autumpnus ab *autumos*, quodam Greco cuius equipollens apud nos idem sonat quod morbidum vel tempestuosum, et hoc quia illud tempus est frigidum et siccum. Hyemps dicitur ab

emi, quod est dimidium, quia vulgus dividit annum in hiemem et estatem, large appellans hiemem anni medie[U51v]tatem. Harum partium principia et terminationes possunt haberi per hos versus:

Festum Clementis capud est hiemis orientis,

Cedit hiemps retro cathedrato Symone Petro,

Ver fugat Urbanus estatem Symphorianus.

Habet autem tam estas quam autumpnus .91. dies, hiemps .92. dies propter illum diem excrescentem ultra annum divisum per .4. partes. Ver autem habebit .92. dies si sit bisextus, [B69v] sinon autem .91. dies. In versibus quidem predictis, si non assignentur cuilibet parti tot dies quot [Ba 19va] iam in assignando diximus, hoc ideo contingit quia terminationes et principia predictarum partium per festa notata volunt notificari: non [U52r] constituatur vis in hoc, si unus dies vel duo dies unius partis computentur cum diebus alterius partis.

[13. De solstitiis et equinoctiis]

In hiis quatuor anni temporibus sive anni partibus sunt duo solstitia et duo equinoctia. Dicitur autem solstitia non quia sol aliquando stet set quia est in maximo accessu a cenith capitis nostri, vel iterum in maximo recessu a cenith capitis nostri. Equinoctium vero dicitur quando dies artificialis adequatur nocti. In quibus signis contingunt solstitia et equinoctia patet per hos versus:

Hec duo solstitia faciunt Cancer Capricornus,

Set noctes equant Aries et Libra diebus.[End cc329vb]

Solstitium estivale est circa principium Cancri, [U52v] quoniam tunc maxime sol accedit ad cenith capitis nostri vel ad nostram habitabilem. Solstitium hiemale est circa principium Capricorni, quoniam tunc sol maxime recedit [A111va] a cenith

capitis nostri sive a nostra habitabili. Quando autem sol recedens a Capricorno [C35va] versus Cancrum venit ad locum medium inter Capricornum et Cancrum, tunc est equinoctium, et quia contingit in vere dicitur equinoctium vernale, in Martio circa principium Arie[Ba19vb]tis. Quando vero sol recedit a Cancro tendens versus Capricornum venit ad locum medium inter Cancrum et Capricornum, tunc est aliud equinoctium, et quia contingit in autumpno [U53r] dicitur equinoctium autumpnale, in Septembri circa principium et introitum solis in Libram.

De certis autem diebus solstitiorum et equinoctiorum dubium est. Dicunt tamen computiste quod sol intrat novum signum .xv. kalendas mensium. Unde versus:

Semper quindenis ponuntur signa kalendis.

et octavo die post debet equinoctium intrare vel solstitium. Unde patet quod cum sol intret Capricornum 15 kalendas Ianuarii, et octavo die post debeat esse solstitium, erit solstitium hiemale in die natalis Domini, octavas kalendas Ianuarii. Similiter cum sol intrat Cancrum .xv. kalendas Iulii erit solstitium estivale in die natalis beati Iohannis Baptiste, octavas kalendas Iulii. Similiter patet de equinoctiis:[U53v] cum sol intret Arietem .15. kalendas Aprilis erit equinoctium vernale ubi annuntiatio Domini notatur, scilicet octo kalendas Aprilis; cum iterum sol intret Libram .15. kalendas Octobris erit equinoctium autumpnale in die conceptionis beati Iohannis Baptiste, scilicet octo kalendas Octobris. Quod autem solstitium fuerit hiemale in nativitate Domini, solstitium estivale in nativitate beati Iohannis [Ba20ra] Baptiste, videtur probari hac auctoritate Mathei de beato Iohanne: *Illum oportet crescere, me autem minui*; quia dicit quedam glosa quando Dominus natus erat dies incipiebant crescere, [A111vb;U54r] quando autem Iohannes, decrescere. Set licet tunc hoc fuerit verum, in nostro tamen tempore non est ita, quia recesserunt equinoctia et solstitia per hoc quod

attribuimus cursui Solis plus temporis quam deberet attribui; quantum enim ad veritatem sol moratur in quolibet signo per .30. gradus et .30. trientes hore et .29. bisse momenti. Unde in quolibet signo computamus superflue unum bisse, et cum .xii. sint signa, erunt .xii. bisse momenti, que valent .8. momenta, id est quintam partem hore. Et ita in .5. annis computamus superflue unam horam. Et cum .24. hore faciunt unum diem naturalem, [U54v] in quinquies .24. annis invenitur superflue unus dies naturalis, id est in .120. annis. Set a nativitate Domini elapsi sunt .1200. anni et eo amplius, in quo numero sunt decies centum et decies viginti; [C35vb] et ita per decem dies recessit iam solstitium hiemale a nativitate Domini, et estivale a nativitate beati Iohannis Baptiste. Similiter intelligendum est de equinoctiis. Unde [Ba20rb] versus:

*Solstitium decimo Christum preit atque Iohannem,
Nuntia sic matris nox equa diemque Iohannis.*

[14. De ieiuniis]

Notandum etiam quod quolibet quatuor temporum est quoddam ieiunium trium dierum. Ieiunamus enim in vere quia tunc omnia virent, ut in nobis vireant virtutum opera; vel ut in nobis temperetur humor ille qui assi[U55r]milatur [B70r] veri, scilicet sanguis, qui est calidus et humidus. Ieiunamus etiam in estate ut simus ferventes in caritate; vel ut in nobis temperetur humor ille qui assimilatur estati, colera scilicet, que est calida et sicca. Ieiunamus in autumpno ut in nobis proveniat fructus bonorum operum; vel ut in nobis temperetur ille humor qui assimilatur autumpno, scilicet melancolia, que est frigida et sicca. [A112ra] Ieiunamus itaque in hieme ut sicut defluunt folia et moriuntur herbe, ita in nobis moriantur vitia et defluant; vel ut in nobis ille humor temperetur qui assimilatur hiemi, fleuma scilicet, [U55v] quod est

frigidum et humidum. Quibus autem diebus ista ieiunia debent celebrari scitur hiis versibus:

Dat Crux Lucia Cineres Carismata dia,

Ut sit in angaria quarta sequens feria.

Quoniam vigilie quorundam apostolorum habent ieiunium ex institutione quorundam [Ba20va] non, que habent et que non, scitur per hos versus:

Petrus et Andreas, Paulus cum Symone Iudas,

Ut ieiunemus nos admonet atque Matheus.

Sunt autem sex apostoli vigiliis habentes, set tantum quatuor habent dies in quibus ieiunamus, quoniam duo apostoli habent unum diem, Petrus scilicet [U56r] et Paulus, alii duo unum diem, scilicet Symon et Iudas, Andreas unum, Matheus unum. Si autem scire velis quare in vigiliis aliorum apostolorum non ieiunamus, in Suma magistri Iohannis Beleth plenius invenitur. [A112rb;U57r]

[15. De adventu Domini]

Quoniam autem adventus Domini variatur per litteras dominicales et feriales que considerantur in anno solari ad habendum certum diem adventus Domini sciuntur hii versus:

Andree festo vicinior ordine quovis,

Adventum Domini prima colit feria.

Si cadet in lucem Domini celebratur ibidem.

[C36ra] Et sic breviter patet ubi adventus Domini semper celebretur.

[16.] Sequitur de anno lunari.

Est autem quadruplex. Primus [U57v] enim est spatium quo luna recedit ab uno puncto firmamenti rediens iterum ad idem. Secundus est idem quod lunatio paulo

maior primo. Tertius est spatium .xii. lunationum qui dicitur annus communis.

Quartus est spatium xiii lunationum qui dicitur embolismalis. De hiis communiter age[Ba20vb]tur per ordinem.

Primus igitur annus continet in se .27. dies et .8. horas, quod sic patet: luna moratur in quolibet signo per duos dies et .6. horas et bisse hore. Ex eo quod moratur in quolibet signo per duos dies, et .xii. sunt signa, habemus duodecies duos dies, id est .24. dies. Ex eo iterum quod moratur per .6. horas erunt .3. dies. .xii. vero bisse hore sunt .8. hore integre. Et ita habemus in universo dum luna circuit zodiacum, ab uno puncto exiens et rediens ad idem, transac[U58r]ti sunt .27. dies et .viii. hore.

[A112va]

Secundus annus est illud spatium quo luna semel accensa a sole peragrat circulum suum, rediens ad idem punctum ubi accensa fuit; set cum ibi solem non invenit, quia fere sol processit per unum signum, attingit solem spatio duorum dierum et .4. horarum. Unde iste annus habet in se .29. dies et .12. horas, propter duos dies et .4. horas adiectas primo anno; et est idem iste annus quod lunatio, sive mensis lunaris. Ex predictis patet quod quelibet lunatio est .29. dierum et .12. horarum, set cum ita non computat comptista, immo .12. horas unius lunationis transfert ad .12. horas alterius lunationis, computans lunationem [Ba21ra] un[U58v]am .30. dierum, reliquam .29. Set hoc quandoque impeditur per bisextum, per embolismum, per saltum lune. Cum igitur una lunatio sit .30. dierum, alia .29. secundum comptiste computationem, lunatio parium dierum [B70v] attribuitur mensi impari. Unde versus:

Impar luna pare, par fiet impare mense.

Lunatio iterum dicitur esse illius mensis in quo terminatur. Unde versus:[cc330ra]

Mensi luna datur cui fine suo sociatur.

Si autem due lunationes terminentur in uno mense, altera illarum erit irregularis, scilicet embolismalis, id est [U59r] hoc fiet mediante embolismo. Isti versus iam dicti habent instantiam per bisextum et embolismum. Qualiter bisextus [C36rb] impedit sic patet: regula est quod semper in anno bisextili lunatio Februarii erit 30 dierum, in aliis annis 29; et hoc est propter unum diem excrescentem in bisexto. Unde in anno bisextili erunt 3 lunationes continue 30 dierum, Ianuarii, Februarii et Martii.

Notandum etiam quod quotiens lunatio Martis incipit ante locum bisexti, et si sit annus bisextilis, videtur duplex inconueniens contingere: quod lunatio Martis scilicet habeat 31 dies, [A112vb] quod est inauditum, et quod lunatio Februarii sit tantum 29 dierum, quod est contra regulam iam datam. Ad [Ba21rb] hoc solvendum, nota quod in tali casu ubi lunatio Martis deberet pronuntiari prima, lunatio Februarii pronuntiabitur trecesima, ita quod numerus signans primationem lunationis Martis intelligatur poni in secundo loco. Hoc etiam notatur in quibusdam calendariis per quendam numerum extra scriptum a tertio nonarum Februarii usque ad locum bisexti, ita quod 19 scribatur extra contra pridie nonas, 8 vero contra nonas, et sic descendendo usque ad locum bisexti. Hoc autem solet notari quibusdam lineis [U60r] oblique protractis ab eisdem locis usque ad locum bisexti.

[17. De aureo numero]

Ad habendum quidem etatem lune singulis diebus, id est tempus post accensionem eius a sole, primo inueniebantur tabule a Romanis; deinde Chaldei invenerunt aureum numerum et Romam miserunt. Romani igitur numerum illum propter eius facilitatem et utilitatem aureis litteris calendariis suis scripserunt; unde adhuc appellatur aureus numerus. In primo igitur anno cicli decennovenalis per totum

kalendarium primationes notantur per unitatem, in secundo per binarium et sic de aliis. Ex hoc patet quod cum iste ciclus [U60v] contineat .19. annos in numeris predictis, maximus numerus erit .19.

Ponitur igitur in principio Ianuarii ternarius, quoniam de necessitate ita contingit quod quando sumus in tertio anno istius cicli [Ba21va] semper in prima die Ianuarii luna erit prima. [cc330rb] Ab isto numero formantur alii numeri sequentes per additionem octonarii, ita tamen quod si excrescat maior numerus quam .19., reiectis .19. residuum sumatur. Vel sic formetur: si numerus propositus fuerit .12. vel maior numerus, subtrahantur undecim et residuum ponatur loco sequenti, si autem minor quam .xii. ad[U61r]de viii. In aureo quidem numero fere per totum kalendarium minor numerus sequetur maiorem immediate, [A113ra] vel maior minorem mediate. [C36va] Istud autem habet instantiam in xii locis in kalendario, ita quod in vi locis iuxta principia vi mensium signatorum pari numero, ut secundo, quarto, etcetera. Reliquae .vi. instantie sunt iuxta finem .vi. mensium continue sumptorum, habito initio a Iulio. Quod totum patet per hos versus:

Aureus hac arte numerus formatur aperte:

Prima dies Iani que ianua dicitur anni,

Ternarium re[U61v]tinet ne posterus ordo vacillet;

Per precedentem numerum dant octo sequentem.

Si decimum nonum superabis sic numerando,

Tolle decem, pariter novem, reliquum retinendo.

Si duodenarius numerus tibi venerit aut plus,

Undenas tollas et quod superest ibi ponas.

Si duodenario numerus fuerit minor illi,

Octo coniungas, coniunctum postea scribas.

Maiori numero debetur tertius ordo; [Ba21vb]

Si minor assequitur, maiori continuatur.

Per loca bisseña non est hec regula firma:

Tres Februi quarto nonarum continuato

Quatuor apponas sub Aprilis pridie nonas.

Tot Iunius lacerat ubi nonas .iiii.^{or} aptat;

[U62r] August[B71r]i capite .3. debes continuare;

Quatuor Octobris lateratim pone kalendis;

In quartis nonis duodeni denique mensis;

Linea tredecimum tenet una simulque secundum.

Excipe .6. menses, Iulium prius atque sequentes,

Hiis quamvis crescat undenis summa propinquat.

Octo, minor numerus, sequitur nec continuatur.

Tali quippe modo describitur aureus ordo.

Notandum quod ciclus decennovenalis et ciclus lunaris eiusdem sunt quantitatis, quia uterque est 19 annorum, set in hoc differunt, quod ciclus decennovenalis noster prius incepit scilicet [U62v] tribus annis, quoniam primus annus [A113rb] cicli lunaris est in quarto [cc330va] anno cicli decennovenalis. Est autem ciclus decennovenalis secundum quem procedimus primationes lunationum assignando et cui deservit aureus numerus in kalendariis nostris scriptus. Ciclus autem lunaris est secundum quem veteres Romani procedebant assignando veras ascensiones lune per multiplicem laborem multiplicationis et divisionis, et solet notari in quibusdam kalendariis veteribus per quendam numerum posita unitate in kalendis

[C36vb] Ianuarii, deinde facta formatio[Ba22ra]ne ad modum aurei numeri per additionem .8.; et ita uterque ciclus incipit a Ianuario. [U63r] Si autem velis scire in quoto anno cicli decennovenalis simus, annis Domini adde unitatem et totum divide per .19., et si nichil est residuum tunc sumus in ultimo anno illius cicli; si aliquid, illud ostendet in quoto anno sumus. Si in quoto anno lunaris cicli simus scire velis ab annis Domini subtrahe duo vel adde .17. et divide ut prius.

[18. De anno communi]

Sequitur de tertio anno lunari, scilicet de anno communi. Et dicitur communis quia habet .12. lunationes sicut annus solaris .12. menses; vel quia fere contingit quod semper duo anni communes simul conveniunt, ut patebit in collatione embolismorum. Iste autem annus continet in se .354. dies, quod patet ex hoc, [U63v] quod habet .6. lunationes .30. dierum et alias .6. .29. dierum, que summa dierum est .354. Patet etiam quod annus solaris excedit hunc annum communem spatio .xi. dierum; unde si illi duo anni simul incipiant, prius terminabitur annus communis quam annus solaris, sicut patet quando sumus in tertio [C37ra] anno cicli. Quare si luna fuerit prima in kalendis Ianuarii eodem die anno revoluto erit duodecima propter illud excrementum [Ba22rb] .xi. dierum. Consimilis erit variatio in principio cuiuslibet mensis [A113va] et etiam in quolibet die anni.

Et propter hoc rectificandum invenerunt computiste duos numeros, scilicet epactas et regulares lunares. Ad sciendum etiam cuius etatis sit luna in kalendis mensium ex [U64r] isto excessu .xi. dierum dantur quedam regule de etate lune respectu preteriti temporis et futuri. Si luna igitur supponatur hodie alicuius certe etatis, et velis scire in anno futuro cuius etatis [cc330vb] erit hoc eodem die, vel 3^o vel 4^o etc., etati lune quam modo [B71v] habet adde xi, et tante etatis erit in anno futuro;

illi iterum adde .xi., et tante etatis erit anno tertio eodem die, et ita in infinitum, hoc tamen notato, quod si excrescat .30. maior numerus, .30. reiciantur et residuum ponatur pro etate lune. Si autem velis scire cuius etatis fuerit luna in eodem die anno preterito, vel tertio, vel quarto, illi etati lune quam modo habet adde .19., et habebis etatem [U64v] lune in anno preterito, etati iterum lune anni preteriti adde .19. et habebis etatem lune tertii anni, et ita deinceps, hoc etiam notato quod si maior numerus triginta excreverit, reiciantur .30. et residuum indicabit tibi etatem lune. Unde versus:

